

**Propempticon inauguralis de discreto sensu circa studium anatomiae /  
[Johann Juncker].**

**Contributors**

Juncker, Johann, 1679-1759

**Publication/Creation**

[Halle] : [publisher not identified], [1730]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/sp7wadck>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

JOANNIS JUNCKERI  
MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORDIN.  
**PROPEMPTICON**  
**INAUGVRALE**  
DE  
**DISCRETO SENSU CIRCA**  
**STVDIVM ANATOMIÆ.**






**N**on minima profecto huma-  
næ mentis ægritudo ex eo concluditur: quod  
in tramite medio, qui tutissimus est, admo-  
dum difficulter incedere possit, sed per va-  
ria potius diverticula, in utrasque partes abeuntia, seu  
ex uno, ut loquuntur, extremo in alterum facillime digre-  
diatur. Qui tristes in avia saltus sicut in quam plurimis  
mortalium actionibus toto die observandi sunt: ita in stu-  
diorum quoque cursu sæpius committuntur, & ad viam  
rectam deserendam auctores existunt. De quibus noxiis  
excursionibus ut specialiori adplicatione pauca dicamus:  
studium anatomicum, seu artificiosam illam cadaverum  
dissectionem, in medium proferemus. Quod si enim & an-  
tiqua & nova tempora sedulo perlustremus: tum insignes  
hujus studii vicissitudines, differentem illius æstimationem,  
disparia de illo judicia & variantem in eo exercendo in-  
dustriam reperimus. Mittimus autem jam tempora anti-  
quiora, utpote satis obscura, & nostræ tantum ætatis ra-  
tionem habemus. Atque in hac prægresso proxime sæcu-  
lo periodos admodum discrepantes offendimus; dum hoc  
studium iam negligentius, iam maximo cum fervore & co-  
namine tractatum fuit. Erant etenim dies, in quibus plu-  
rimi anatomen oculum quasi splendentem omnis solidæ  
eruditionis habebant, & ad maiorem perfectionem illam  
deducendam certatim quasi laborabant. Et hic quidem  
ardor non tantum in Medicorum animis flagrabat, verum  
etiam aliarum scientiarum cultores ita incendebat, ut, te-  
ste *Diemerbroeckio*, dubitasses, num Medicorum, an Phi-  
losophorum studium tum temporis habenda fuisset anato-  
mia.



mia. Quum vero a medico sine, qui totus practicus est, non pauciores hic aberrarent, & in solis fere physico-mechanicis utilitatibus, immo subtilitatibus, acquiescerent: tum non defuere Viri perspicaciores, qui hanc e tramite excursionem merito suo accusarent, monentes, in hisce primis elementis non esse subsistendum, sed ad usum omnia practicum dirigenda. Verum enim vero salutarem hanc admonitionem multi tam sinistre interpretabantur, ut contra auctorum intentionem ad alterum illud extremum, videlicet ad studii anatomici negligentio-rem tractationem, prolaberentur, & turpi potius otio, quam cada-verum foetori, sese exponerent. Tandem a proximis nunc annis novi impulsus hoc sectionis studium non mediocriter excitarunt. Vnde quidem in novis anatomiae inventis & antiquorum errorum correctionibus ætas nostra multum gloriatur: num vero, extrema evitando, tramite medio omnes hic incedant, & ad usum vere practicum obtinendum nervos suos intendere conentur, aliorum iudicio nos relinquemus. Effemus interea admodum iniqui, si industriam illorum Virorum, qui admirandam corporis nostri structuram accuratius perscrutantur, & tædiosum hunc laborem pro oblectamento quasi habent, gratissimo animo non agnosceremus. Immo turpe esse studioso medicinæ existimamus, qui commoda huius studii addiscendi occasione fruens, illud vel per ignaviam vel adscitam nauysem vel quamcumque aliam excusationem negligeret. Licet enim in hac quoque re certi modi ac fines sint agnoscendi, & accuratissima anatomes peruestigatio tales usus medicos, qui totum negotium absolvant, minime ferat: hoc tamen studii medici ornamentum tanto minus prætermittendum est, quanto breviori tempore illud potest comparari. Quis enim nescit, a juvene, qui felici memoria & oculorum acie præditus est, intra





femestre spatium multum anatomicæ cognitionis posse hauriri?

Occasionem hac de re dicendi præbuit Vir Iuuenis nobilissimus & præclare doctus

**GEORG DANIEL BOESSEL**  
CANDIDATVS MEDICORVM HO-  
NORVM DIGNISSIMVS.

Hic enim in dissertatione sua inaugurali *de usu myologiae medico* exponens, media & tutissima via incedit, atque exemplo suo, extrema esse fugienda, iuventutem studiosam docet. Cum enim probe nosset, viri prudentis esse, attendere tum ad omnia, tum maxime ad verum scopum: minime in eo acquievit, quod in anatomia, quam laudabili industria exercuit, intimam musculorum structuram perspexisset, & usum eorum mochlico-mechanicum adnotasset; sed eo animum direxit, ut, cum peruideret, universam musculorum structuram mechanicam, quatenus mechanica est, ad læsiones illorum reparandas nil conferre, sinceriores myologiae usum, nempe medico-practicum, in dissertatione sua potissimum indicaret. Quod reliquum est, vitæ rationem, pro more in academiis recepto, breviter exponemus.

Lucem hanc adspexit *Subla*, quæ civitas est *Hennebergici* comitatus, anno 1704. d. 15. Nov. honestissimis parentibus prognatus: videlicet patre *Georgio Sigismundo Boessel*, ejusdem civitatis senatore meritissimo; matre autem *Barbara Christiana Hoffmannia*, senatoris ibidem spectatissimi filia. Prima studiorum fundamenta in schola patria iecit, & exactis in ea aliquot annis adfinis eius *Gubizius*, Goldlauteranæ ecclesiæ minister meritissimus, in erudiendo illo & formando singularem plane fidem & industriam



dustriam privatam comprobavit. Post hæc illustris gymnasii *Schleusingensis* cives factus est, atque triennii spatio cursum ibidem scholasticum feliciter absolvit. Vnde anno 1723. in *Fridericianam* nostram se recepit, & omni viri-um facultate id fecit, quo modo artem medicam dextre perditceret. Eum in finem apud Illustrum *Fridericum Hoffmannum*, Consiliarium aulicum ordinisque medici Seniorem, audivit collegia, ut de erroribus in medicina ex anatomiae ignorantia ortis, de materia medica, de casibus practicis. Audivit quoque Viri itidem illustris *Michaëlis Alberti* Regis aulici & ecclesiastici Consiliatoris prælectiones physiologicas, pathologicas, therapeuticas generales & speciales; physicam porro dogmaticam, chemiam & deniq; collegium de morbis mulierum. Præter hos exercitissimi Professor. *Heinrici Bassii* lectiones anatomicas & chirurgicas frequentavit. Neque vero studium philosophicum neglexit: namque audivit Excell. *Schneideri*, Consiliarii aulici, collegium logicum, Illustris *Gundlingii*, humanis rebus nunc exempti, philosophiam moralem, & Excell. *Jo. Iach. Langii* physicam experimentalem & mathesin. Absoluto triennii academici cursu anno 1726. *Berolinum* se recepit, & studio anatomico, manu ducente Viro Consultissimo *D. D. Budeo* ulteriorem operam dedit; non minus autem in chemicis Viri Excell. *D. D. & Prof. Neumannii* strenuus fuit auditor. Postea *Halam* redux meam quoque praxin clinicam per integrum annum frequentabat. Deinde, peculiari in anatomiam & chirurgiam ardore excitatus, *Lutetias Parisiorum* anno 1728 proficiscabatur; ubi Viros celeberrimos, in anatomicis *Dominos du Vernay & Winslavv*, in chirurgicis *Dom. Morang & Boutrou*; in embryulcia *Dom. Gregoire* & in morbis denique oculorum *Dom. Saint-Yve* docentes habuit. Tan-



dem agnatos suos, qui Regi Daniæ a consiliis sunt, Hafniae visitans in nosocomium marinum, vulgo *Queßsch-Hauß*, se contulit, & in illo praxin clinicam de novo in usum revocavit.

E quibus omnibus satis innotescit, quod nobilissimus Candidatus noster tempus suum bene ac prudenter studiis posuerit. Vnde ordo noster Medicus lubens ad examen illum admittens talem judicavit, qui gradum Doctoris Medici tueri possit; de qua dignitate ego quidem aperto animo ei gratulor, & felicitatem divinam sincere exopto.

Ceterum ut consuetum hunc inauguralem, die XXI. Junii instituendum, præsentia sua illustriorem reddere velint litterarum, Mæcenates ac Patroni, est, quod officiose ac decenter oro. P. P. in Regia Fridericiana Hal. Magdeb. XII. ante Cal. Jun. A. O. R.  
 clo lccc xxx.

**N**on eadem tellus fert omnibus omnia grata.  
 Hæc gustum sapidis delectans, altera visum  
 Formosis pascens. Varias hinc visere terras  
 Flexibiles animi cupiunt. Sua quemque voluptas  
 Huc trahit, ut quidvis quovis de flore lucretur  
 Sedulus instar apum. Rata hæc mihi BOESSEL habebis  
 Perdoctus; literis distincta ad littora lectis,  
 Phœbea hic cupiens Mitra sibi tempora cingi:  
 Gallia sic mores celebrat, Germania laurum  
 Dat tibi; tranquillam promittit Dania sedem.  
 Gratulor! & quoniam patrios jam quærere Lares.  
 Est tibi mens; voveo: felix utaris iturus  
 Numine propitio! Medicus divinus in arte  
 Sis patriæ; mihi sis quo lætar verus amicus.

*His Doctissimo Dom. Auctori Amico in paucis honoratissimo summis  
 in arte medica honores acquirenti gratulari voluit.*

JOANNES PIPER,  
 Cimber-Danus Med. Stud. oppon.



VIRIS

CONSVLTISSIMIS, AMPLISSIMIS  
DOMINIS

DOMINO

IO. THOMASIO  
HOFFMANNO

SACR. REG. DAN. MAIESTAT. CONSI-  
LIARIO IVSTITIÆ SPECTA-  
TISSIMO &c.

VT ET



VT ET

DOMINO

IO. VOLCKMARO  
HOFFMANNO

SACR. REG. DAN. MAIESTAT. CONSI-  
LIARIO IUSTITIÆ SPECTA-  
TISSIMO &c.

DOMINIS FAVORIBVS ET  
AVVNCVLIS SVIS

Hanc dissertationem inauguralem in tesseram  
gratissimi animi dare debuit, voluit

AVCTOR.